

emanantium acerbitas, ut totius corporis incendium, sitis clamola, & inextinguibilis, dolores acutissimi, & huiusmodi, ita ut magis quid mihi innuere videatur hoc loquendi modo, quam fecerit alias Deuteron. cap. 32. cum de Aspido veneno loquens, illud insanabilis epiteto insigniuit: horum enim serpentium venenum non modo certo certius occidebat, ut ex eventu apparet, quia plurimi eorum, qui morsum ipsorum experiebantur interibant, sed, ut dixi, cum intolerabili dolore, & anxietudine non secus ac ignis faceret, si eo quisquam sensim, paulatimque absumi permitteretur. Fortasse simile affert exitum serpens Diplas dictus, de quo Nicand. in Theriac. & Dioscorid. lib. 6. cap. 50. & ibi Matthiol. & quidem, licet credat Bistamentin. ubi supra cap. 2. eos serpentes diversi generis fuisse, connumerat tamen inter illos Dipladem, qui effectus prædictos aptior est progignere; sed quales quales fuerint, effectus ipsius ignis produxisse in iis, qui commorati erant ipse etiam Bistamentin. concludit. Nullum porro intercessisse naturale remedium ad tanti veneni curationem, sed fuisse serpentem æneum remedium omnino supernaturale in figuram Christi Servatoris nostri emanans, palam est. Neque facile addacor, ut credam quod Bistamentin. ubi sup. cap. 5. videtur admittere, nimirum serpentem illum à Moyse potuisse tali cœli climata, & configuratione constitui, ut non secus ac nonnullæ aliæ figuræ ad aliorum animalium morsum, ut puta Leonum, Tigrium, & huiusmodi conseruat, sic ad morsum illorum serpentum remedio ille fuerit; quia modus loquendi sacre Scripturæ non hoc innuere videtur, sed contrarium: non enim ex se Moyses serpentem fecit, sed Dei ipsius præcepto dicentis, Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo, qui percussus aspexerit eum, viveret. at non videtur dicendum, D. O. M. ulum fuisse secundis hęc causis, & ostendisse Moyse remedium physicum, & naturale, sed dedisse huic serpenti talem virtutem sanandi commorosos ab illis serpentibus ex propria potentia absoluta. Vnde merito damnatur, & exploditur hęc opinio à Torreblan. in Epitom. delict. lib. 1. cap. 7. num. 11. Præterquam quod aptissime convincitur hujus sententiæ absurditas ex verbis lib. Sapient. cap. 16. vers. 7. ubi de ea re verba faciens Auctor, Qui enim inquit, conversus est, (ad serpentem æneum) non per hoc, quod videbatur, sanabatur; sed per te (Deus) omnium Salvatorem. Miraculum tamen hoc in secundo miraculorum gradu venit reponendum: non enim impossibile erat eorum serpentum morsum Medica arte sanari, ut abunde probat idem Bistamentin. ubi supra cap. 5. licet Aspidis, Hemorrhoidis, & Dipladis, aliorumque serpentum morsum immedicabiles iudicentur; quod quidem ut plurimum fit, non semper, neque enim serpentes illi tunc primum sunt à Deo creati ad eum effectum, ita ut suspicari possimus, habuisse illos venenum omnino à naturalibus diversum, & ob id arte Medica insanabile, quia sacra Scriptura hoc non dicit, immo contrarium insinuat, cum dicit, Immisit Dominus in populum ignitos serpentes; quasi eos in aliqua deserti parte commorantes in Hebræos impulerit; quod etiam sentit Bistamentin. ubi supra cap. 2. neque hoc absque naturalis rei testimonio dico, quia Herod. lib. 3. narrat, in Arabia reperiri maximam serpentum alatorum quantitatem, qui litterarum quasi exercitu facti ad Ægyptios tendunt, eoque maxime molestant. ad quod facillimè addacor, ut credam, quia lo-

cas ubi Hebræi à serpentibus molestati sunt non longe abest ab Arabia, neque desunt mihi hujus sententiæ fautores, quorum unus satis fit, nempe Torrellan. in hunc locum quæst. 7. Ergo Deus hoc naturali medio ulus est ad Hebræos puniendos, ut ego sentio, si modo recte sentio: in hoc enim, ut in cæteris omnibus, Catholica veritati me submitto. cum ergo hi serpentes natura convenirent cum cæteris, poterant remedium habere naturale. Cæterum quia ex morsu fit solutio partium, ejus argumenti affinitate de vulnerato Malcho sermo nimirum Principis Sacerdotum aliquid dicamus huic enim Petrus, ut Evangelistæ testantur, abscidit auriculam dextram, quæ suo principio unita est solo Christi Domini contactu; ubi considerandum, quod auricula, vel erat penitus abscissa, vel tantum ex parte, ita ut tantisper adhuc hæretet, si hoc postremo modo se res habuit, facile patet, vulnus hoc fuisse arte Medica sanabile, & potuisse auriculam restitui, capitiq; reuniti, quomodoque id succedat, non enim id nunc querendum; sic vero huiusmodi opus miraculosum esset tantum quoad modum, essetq; in secundo miraculorum gradu. At si auricula erat penitus abscissa, dubitari posset, an per media naturalia restitui potuisset, quia constat aliquando nasum recentè decisum, & illico reconjunctum, optimeque alligatum restitutum fuisse, & vidè pulcherrimum calum apud Aræum de cur. vmb. lib. 1. cap. 7. quomodoque fit illud omnimodam habet veritatem, partem animalis viventis à suo principio decisam illico commori, nec restitui posse ad vitam nisi ex miraculo. ad exemplum autem adductum dicendum, non fuisse omnino nasum à suo principio divisum, ut in historia patet, habet ergo eandem difficultatem restitutum partis à suo principio decisæ ad novam unionem, quam habet resurrectio mortui. Torrell. in Epit. delict. lib. 2. cap. 12. nr. 13. unde si auricula Malchi penitus fuerat abscissa, ut credendum est, ejus restitutio miraculum fuit ex primo ordine, nempe undèqueque supernaturale. Aliter autem se habet miraculum in Ezechie persona celebratum, ut narratur Esaiæ cap. 38. & alibi; quia Ezechias curatus est naturali remedio; non tamen quod sanasset, nisi specialiter Deus illi virtutem sanandi tribuisset: nam verum quidem est, sicorum massam ulceri, quo ille laborabat, admotam potuisse alias conferre, quoniam, ut commondrunt Vassel. de sacri. Philos. cap. 39. & Bistam. de anim. rept. sacri. Scrip. lib. 2. cap. 5. de ea re verba facientes, habet facultatem illud medicamentum ad ulcera cum inflammatione sananda; sed quod in ulcere maligno, & ex quo ille erat jam periturus quicquam posset conferre, est ab omni verisimilitudine alienum, erit ergo miraculum hoc ex tertio ordine, ut patet. Quoniam autem restant duo claudi, de quibus in Act. Apostol. cap. 3. & 4. de his etiam mentionem habeamus, eos autem miraculose fuisse sanatos non dubitandum, quia cum essent claudi ex utero matris, non poterant ulla arte juvari: dato autem quod juvari potuissent, quia constat etiam alios ab utero claudos fuisse interdu sanatos (licet nunquam arte, sed casu, ut de illo, qui ex alto cecidit, & de puero pestilenti morbo correpto habetur apud Beniven. de Abd. cap. 55. quorum uterque sanatus est, & de muliere que peste laborans restituta est) hoc miraculum erit ex secundo ordine, cum sani ambo facti sint solis Apostolorum verbis. Et

Et hæc dicta sufficiant peculiariter de Ægrotis, quos constat ex sacro tam veteri, quam novo testamento ad sanitatem miraculose fuisse revocatos; quod si qui me tegerint, de quibus hic mentionem nullam habuerim, possunt facillime ex jam dictis lectores cognoscere, quantopere eorum sanationes vires Naturæ exuperaverint, & in quo miraculorum genere fuerint reponendæ, si ad hos collatæ fuerint, quemadmodum etiam de cæteris omnibus extra sacram historiam enarratis facere quodcumque licebit. hæc enim ego potius pro exemplo adduxi, quam ut omnium ægrotorum, qui miraculose curati in utroque Testamento reperiuntur, accuratam historiam texere vulerim.

S V M M A R I V M.

1. Deus miracula operatur in nostram salutem, & ad sui ipsius gloriam.
2. Malis hominibus Deus mala comminatur.
3. Antiqui Deos bonorum, & malorum causas esse voluerunt.
4. Deus ex Platone solus boni causa est: mali autem quæcumque alia causa præter Deum.
5. Deus hominibus mala infert ad eorum correctionem.
6. Moysi ex Dei permissu à Dæmonibus in homines inferuntur.
7. Divinum in morbis quid ex Hipp.
8. Qui supernaturales morborum causas negant, toto cœlo errare dicendi.
9. Morbi nonnulli sunt, quorum cause ignorantur, & que non habent alia remedia propria.
10. Morbi nonnulli solis spiritalibus remediis sanantur.
11. Nulla naturalis causa assignari potest interitus primogenitorum omnium Ægyptiorum.
12. Si Deus sit, is summus bonus, & virtutis amator sit oportet.
13. Univerfus hominum consensus divinos morbos admittit.
14. Mortis, & mortes miraculose evenientes que nempe signa demonstrare possunt.
15. Miraculum est opus arduum, & difficile. Et ab hominum cogitatione remanet.
16. Miraculum est id, cujus effectus est manifestus, causa vero incognita.
17. Divini morbi naturalibus prædiis irritantur, vel illis nullatenus cedere consueverunt.
18. De morte, aut morbo miraculose immisso quando licet suspicari.

De Morte miraculosa, & de morbis divinitus immisiss.

Quemadmodum in nostram salutem, & ad sui gloriam multa operatur Deus miracula, quibus singularia nobis impertitur beneficia: sic tum ob prædicta, tum etiam in nostram correctionem alia nonnulla operatur, quibus & morbos, & erumnas, & mortes hominibus conciliat, quod adeo univèrque hominum acceptum videtur, ut universus omnium consensus id ipsum fateatur, vel ipso Galea. teste in primis Epidem. in princ. quin ipsemet veritatis fons Deus optimus maximus hominibus pravo corde ambulantibus millies quàm plurima mala minatus est, præcipue autem morbos graves, & mor-

tem, quod maxime in Deuteron. cap. 37. apparet, ubi derelinquentibus vias, & præcepta ejus inter alia multa hæc comminatur. Adjungat tibi Dominus pestilentiam, donec consumat te de terra, ad quam ingredieris possidendam; Percutiat te Dominus egestate, febrî, & frigore, ardore, & æstû, & aère corrupto, ac rubigine, & persequatur donec pereas; Percutiat te Dominus ulcere Ægypti, & partem corporis, per quam stercora egeruntur, scabie quoque, & pruriginè, ita ut curari nequeas. dehinc etiam cæcitate, & amentia, & furore mentis. neque solum constat hæc D. O. M. comminatum aliquando fuisse, sed alias etiam ad effectum deduxisse, ut mille exemplis ex sacra Scriptura patet, quibus hanc veritatem confirmare non facit ad rem, quia cum fidelibus superfluum est, cum infidelibus autem non satis probant. Sed & antiqui Poetæ præcipue ipsos Deos, & bonorum, & malorum causas esse, & nobis immittere morbos interdum, & pestem firmanunt. ut Hesiod. lib. 1. oper. & dies. in hæc carmina: Sæpeque universa civitas malum ob vitium punitur, Quo peccat, & iniqua machinatur, illis agitem Civitas magnam adduxit malum Saturnius, famam simul & pestem. Homerus utem Iliad. lib. 1. hoc ipsum fateatur, cum pestem, qua laborantur Græci à Diis immisissam fuisse narrat. Plutar. quoque in lib. de ser. num. vind. his assentiri videtur, nam & pestem à Deo immitti confirmat, quorum auctoritatibus aliorum quoque magnorum virorum dicta adjungi possent, nisi prolixitate timeremus. Nihil autem nos moveat, quod contra horum Poetarum, & Philosophorum auctoritatem Plato. 2. de Rep. non longe à fine ex professo locutus videatur dicens. Et bonorum quidem solum Deus causa est dicendum, malorum autem quamlibet aliam præter Deum causam querere decet, quia cum Deus hominibus mala inferat ad eorum correctionem, & punitionem, hoc non nisi gratia boni facit, ut recte Marf. Ficia. in argum. ejus dialogi, immo, ut idem Plato in Gorgia dicebat, demit maxime de infelicitate, quæ ex malis operibus hominibus provenit, si comigna pena pro illis afficiantur; infelicitissimus enim omnium est, qui pravitatem habet, & non castigatur. Ergo & mala immitit in nos Deus, quæ nobis quidem mala videntur, cum potius bona sint, revocant enim nos à via mala, & ipsa mala prohibent, non ergo sunt mala; unde satis nobis est, si Platonem in hoc communi hominum sententiæ non adversari, immo potius assentiri sciamus. Sed neque Plato, neque quisquam fortasse alius negabit, morbos aliquando permissu Dei, & superioris causæ à Dæmonibus inferri, neque ego in hoc probando multum immorabor, quod satis superque in hoc elaboraverint Codron. de morb. venef. lib. 1. Septal. de pest. lib. 3. & ante illos Fernel. lib. 2. de abd. ver. causi. cap. 16. & novissime Jo. Bistamentin. de rept. anim. sacri. Scrip. lib. 2. cap. 5. & ex Iureconsultis, & Canonistis, Martin. de Artes de superstit. Martin. Delr. in digestis. Magic. Torrell. in Epitom. delict. & omnes qui de simili materia ad Dæmones præcipue pertinet scripserunt. An autem hoc sibi voluerit Hipp. in prognost. rex. 4. eum considerandum monuit, si quid divini infusio morbis, nimirum an à causa aliqua Methaphysica ullam dependentiam habeant, vel potius an occultam aliquam proprietatem, generique humano inimicam sortiantur, ut vult Fernel. ubi supra cap. 10. vel ab aëris nos ambientis conditione ori-

ginem trahant, ut Gal. *ibi*. & Prosper. Martian. pro nunc indecimum relinquamus. eam tamen quaestionem plenius. exagitat vir doctiss. Steph. Roderic. Castrenf. *de Meteor. Microc. lib. 1. cap. 17.* & Claudin. *Resp. Med. p. 1. resp. 12.* & Celsalpin. *in Demon. Inuest. peripat.* illud mihi persuaserim, modum loquendi Hippocratis eo loci sibi alias minime familiarem potius ad id, quod primo loco annuebam, quam ad aliud quid protrahi posse: nam considerandum, inquit, & si quid divini insit in morbis, nam & illius quoque edicere oportet providentiam: male enim de ambiente aere, aut de naturali quadam causa ea verba intelligi possunt. Fortasse de stellarum quarundam influxu, & actione intellexit, ut Tadd. *in comm.* volebat, & videtur consentire Cardan. *ibidem*, nam & alias quasdam apparentias, & aspectus, in morbis medendis considerare nos iussit. quomodoocunque tandem id se habeat, palam est, Hippocratem, & quemcunque alium, qui supernaturales quasdam morborum causas abnegat toto caelo errare; sed Hippocr. apertissime eas admittere, patet ex principio *lib. de Nat. Mus.* ubi vide commentatores, & praecipue Martian. optime de mente Hipp. discretam: verum & ipsa rerum experientia hoc potest edocere, cum interdum morbos quosdam offendamus, quorum neque causae nobis notae ex quantumvis exquisita, & diligenti inquisitione esse possent, cum nulla Physica causa sufficiens videatur ad eorum productionem, neque ulla naturalia praesidia ad eos abigendos neque, & licet in his Philosophus semper ad occultas quasdam proprietates tanquam ad sacram anchoram recurrat, tamen negari non potest, hos ipsos morbos interdum solis spiritualibus, & supernaturalibus praesidiis curari, sed id ipsum plures casus, & eventus veritatem habere luce clarius demonstrare possunt: si enim plerisque historiis cunctis gentibus acceptissimis fidem negare noluerimus, videbimus nonnullas hominum clades, & pestilentias, aliaque calamitates nullam potuisse habere naturalem causam: quamnam enim similem causam somnabat mihi Pholosophus in interitu omnium primogenitorum Aegyptiorum, quae non modo etate, temperamento, habitudine, & huiusmodi aliis conditionibus inter se differabant, sed etiam ipsa specie? quod etiam si dicas, potuisse hic subesse communem causam, quae tam pecoribus, quam ceteris animalibus & ipsis hominibus insidiaretur, tamen hoc falsum apparet ex eo, quod non indifferenter omnia, sed primogenita tantum perirent, nullam enim connexionem habere potuit naturalis aliqua causa cum primogenitura. Eadem de exercitu Sennacherib dici poterant, ut de Hebraeis quoque ob Davidis Regis peccatum peste absumptis, de Philistaeis dysenteria, aut haemorrhoidibus percussis, & de aliis plerisque eventibus, omissis iis, quos nulla fide dignos esse quisquis perverax, & a Christiana veritate alienus existimare possit, ut Sodomae incendio, & universali ante illud diluvio, & mille aliis, qui occurrunt sacrae paginam revolventibus, licet & de his ipsis naturales causas reddere nonnulli conentur. Sed unica ratio convincere quemcunque potest, nisi Atheos existat, si enim credamus, Deum esse, illum supreme bonum, & virtutis amatorem esse concedendum, contra vero vitiorum odorem, & periculis, unde cum virtus, & vitium hominis propria sint, necesse est propter eorum alterutrum ab

ipso Deo ipsum hominem aut bona, aut mala reportare. ac profecto si cum fideli homine, aut saltem qui quoquo modo Deum cognoscat agamus, hac quae diximus satis superque sunt, nam Atheos neque haec, neque mille aliae rationes, neque sensus convinceret. eos tamen suae haeresei condonemus, inter ceteros autem homines dubium nullum in hac re intercedit, ita ut ad eam plene probandam sufficere videatur universus hominum consensus, de quo initio hujus quaestionis, vel ipso Galeno de Diis non bene sentiente testificante, mentionem habui.

Itaque cum jam ex his pateat mortem, & morbos à supernaturali causa, nempe ab ipso Deo miraculose imitti, videndum restat, quae signa tales morbi, & interitus fortiantur, ne ea, quae naturaliter eveniunt ob sui raritatem pro miraculis acceptemus, vel è contra, ita ut tanquam insipientes delusi, à sapientioribus corripiamur. Verumenimvero licet hoc difficillimum sit edocere, nonnulla tamen observatione digna hac in re afferamus. Consentaneum ergo est tam morbos, quam mortes miraculose eventientes habere in se aliquid ardui, & difficultis, & ab hominum cognitione remoti; tale enim opus miraculum dicitur, ut dixi *quaest. 1. m. 1. 4.* difficultas autem tam morbi, quam interitus consideranda est non solum respectu modi, quo morbus affligit, & quo mors contingit, sed respectu etiam causarum, quarum cognitio sit impossibilis, nam & ipsum miraculum sic definitur dixi ex Bartolo *loco 16 cit.* quod sit id, cujus effectus manifestus est, causa vero ignota. Consideranda quoque Symptomata morbi, & mortis, an secundum Naturae praescriptum, vel praeter ejus consuetudinem succedant, & an ipsis naturalibus causis respondeant, nec ne. consideranda etiam est tolerantia remedium naturalium, & supernaturalium, an ad alterutrum applicationem morbus irriteretur, vel quiescat: patet enim divinos morbos naturalibus praesidiis aut irritari, aut saltem illis nihil omnino cedere. Adhibenda insuper & in hoc iudicio conjecturae ex temperatura, ex etate, ex statu, & ex habitu aegrotantis, vel pereuntis, videndumque quantum morbus, aut interitus ab aegroti, aut morientis temperatura, habitu, etate, aliisque conditionibus deficiat, quae enim secundum Naturae vires eveniunt, consentaneum est secundum easdem conditiones evenire, & in summa quandoocunque morbus occurrit difficultis, sive repentinus interitus, cujus causa sapientibus sint ignotae, & ipse morbus, aut interitus naturalibus, apparentibusque causis non modo minime conformis, sed undequaque repugnans, & alia ex parte urgeant praesumptiones, & conjecturae etiam extra artem Medicam quaesitae, de miraculo suspicari licet, & ad ejus cognitionem habendam, praedicta exquisitè examinanda.

S V M M A R I V M

- 1 Corpora quaecunque sublunari mundo nativo calore destituta putrefiunt.
- 2 Omnium corporum citissime putrefiunt quae sanguine praedita sunt, & cit.
- 3 Corpus incorruptum servari naturaliter, non potest.
- 4 Corpora veneno interempta non putrefiunt.
- 5 Cadavera à putrefactione Artus ministerio facillime servantur.
- 6 Cadria multum potest, in preservatione cadaverum.

7 Scordii,

- 7 Scordii, & Daphnoidis virtus in cadaveribus praeservandis.
- 8 Condendis cadavera inventum perveritissimum.
- 9 Genesis locus de cadaverum conditura.
- 10 Modus condendis cadavera apud Aegyptios.
- 11 Antiquiores Aegyptii in condendis cadaveribus non omnino docti.
- 12 Arabes non exemberant cadavera condenda.
- 13 Nostra etate quomodo condiantur cadavera.
- 14 Mos cremandi cadavera apud Romanos novus.
- 15 Cadavera naturaliter incorrupta servari ex se ad longum tempus non possunt.
- 16 Non omnia cadavera uno, eodemque tempore corrumpuntur.
- 17 Terra, & lapides quidam, quibus cadavera creduntur, ea citissime corrumpunt.
- 18 Genus morbi quo cadavera sunt interempta facit ad citam cadaverum corruptionem.
- 19 Corpora peste sublata citissime corrumpuntur.
- 20 Tempus anni facit ad facilitatem, aut difficultatem cadaverum putrefactionem.
- 21 Cadavera occisorum putredini magis obnoxia contrarium. *num. seq.*
- 22 Cadavera corium, qui scilicet interficiuntur, promptissime putrefiunt, & cit.
- 23 Cadavera aromatibus condita duntaxat incorrupta servari nihil habent in se admirationis.
- 24 Daemon potest cadavera incorrupta servare.
- 25 Cadavera ex miraculo incorrupta servantur etiam corruptionis causis praesentibus.
- 26 Quodnam tempus corruptioni cadaveris assignandum.
- 27 Trium dierum terminus assignatur à Medicis in iis, quos ignotamus, an vivant, nec ne.
- 28 Cadaver ex miraculo incorruptum quomodo servari debet.
- 29 Multi sunt putrefactionis modi.
- 30 Cadavera interdum se movent, sanguinem effundunt, & c. & alia mira in illis observata.
- 31 Cadavera per aliquod tempus post mortem calida permanere naturalis res est.
- 32 Quomodo cognoscantur nonnulla in cadaveribus naturaliter acciderent.
- 33 Cadavera per se stare supra naturam est.
- 34 Cadaver non potest per se super alterutrum laeus permanere.
- 35 Cadaver non potest naturaliter ex se moveri.
- 36 Pili, & unguis in cadaveribus an vere crescant.
- 37 Liquentes, & alia ex cadaveribus longo tempore emanantia an naturaliter procedant.

De cadaverum incorruptibilitate, & aliis nonnullis ad ea pertinentibus.

QV AESTIO X.

CORPORA quaecunque in sublunari hoc mundo vivunt ingenito calore destituta mori primum, ac dehinc etiam putrefcere necesse est. omnium autem promptissime putrefiunt, quae sanguine praedita sunt, quod calido simul, & humido temperamento natura sint, quorum utrumque putredinis principium est. concipiunt ergo haec illico ab excessu nativi calorem extraneum, qui transpirare prohibitus per corporis majorem conden-

sationem, putredinem accersit in humidum superfluens, & extraneum agens. hoc experientia quotidiana patet, & Philolophis est compertissimum, & notat D. Thom. 3. *part. sum. q. 51. art. 3. Nota in relat. 1. de Mirac. B. Theresiae, art. 4. §. de exhumac. d. corp. servor. Des, pag. 29. vers. ex quibus.* Cadavera ergo humana non minus prompte, quam caetera naturaliter corrumpuntur: accidit tamen interdum aliqua incorrupta servari; & id miraculo attribui, unde iure videndum hoc loco est, an id ex Naturae vi contingere possit, aut ex artis ministerio, vel an solum divina potentia factibile existat. Sed antequam ulterius progrediamur, notandum, varios esse corruptionis modos, duos tamen praecipuos, quantum ad rem nostram facit, nempe putrefactionem (ex qua corpora dissolunt, & in tabem abeunt, verbis aliique putridis animalculis scateant, & hanc proprie vocamus corruptionem) & exsiccationem, ex qua eadem corpora paulatim, & longo annorum cursu exsiccantur, & hic modus apud vulgus non adnumeratur inter corruptiones, sed putant, talia incorrupta servari; evenit igitur, & hoc modo cadavera dicantur manere incorrupta; ut nos sequentes hanc communem vulgi opinionem, dicamus, quod multis experientis persuaderi possumus, hoc posse modo praedicto naturaliter contingere; nam primo videmus, cadavera à fulmine icta corruptioni non esse obnoxia, ut inde constat veteres ea nec cremasse, nec inhumasse, & ex Philippo Cominio tradit Patreus de Renne. causam ejus rei asserit, quod sulphure pro sale condiantur. meminit & hujus rei ex Plutarcho, & Seneca *Tofreblanca Epitom. delict. lib. 2. cap. 24. num. 5.* Ego puto à fulminis vi, & abluvi humiditatem omnem, & siccitatem consequenter introduci; sicca autem corpora difficulter putrefieri palam est, faver meae opinioni Alexand. Tasson. *Quaest. lib. 4. num. 11.* qui prudenter, an in omni fulmine eadem ratione semper succedat, dubitat.

Naturaliter quoque fit, ut corpora veneno interempta non putrefiant, tradente Cardano *lib. 12. de Subtil.* unde ea idcirco verminationem non patiuntur, ut dixi alias ex Senec. *lib. 2. quaest. 8. tit. 2. num. 20.* Afferri insuper potest & ad ejus rei confirmationem una, aut altera experientia. Narrat Alex. Tasson. *ubi supra lib. 9. Quaest. 2.* ex Pompilio Placentino Venetae mulieris historiam, quae yenenato pomo cum mortua esset, tota ita rignit, ut in petram versa videretur, nec potuerit ullo modo gladio, aut cultro venter ejus incidi.

Estat apud Paulaniam in Eliacis, & est *lib. 5.* prope finem, historia, quam mihi in mentem redegit eruditissimus pariter & humanissimus Medicus D. Baltasar Bonannus, de milite illo, cujus cadaver inventum est vulneribus adhuc recentibus apparentibus, cum tamen ante Olympiadas 62. vel annos 268. circiter obisset. Vulgatum quoque est quod de Alexandri Magi cadavere relatum ab Historicis est, & retuli alias ex Q. Curtio, quod per septem dies in loco calido permaneret omnino incorruptum, narratur etiam in insulis Arran in mari Connachlico hominum corpora defuncta non putrefcere, sed dio exposita incorrupta permanere: sic homines avos, atavos, tritavos, longamque stirpis suae seriem magna admiratione cognoscere. refert ex Ginald. Henric. Korman. *de mirac. 5. mot. par. 3. c. 4.* Multo autem facilius, & frequentius

ij. V 4 tius

tius arte posse cadavera à putrefactione præservari notissimum quidem, & cuilibet volenti facillimum, ut executioni demandetur: nam plura medicamenta sunt, quæ id ipsam præstare pro voto possunt. Cedria litu id optime succedere tradunt. Plin. lib. 24. cap. 5. & Scalig. in Card. exerc. 141. num. 2. ita ut quod vivis mortem affert, inquit Plinius, mortuis pro vita sit. at id commune habet Cedria cum aliis venenis, quæ vivis & ipsa mortem afferunt, mortuis pro vita sunt, quod cadavera eis sublata non putrefiant. Mirum est insuper quod de Scordii virtute narrat Gal. lib. 1. de Anisid. cap. 12. class. 5. Litterarum quippe monumentis traditum, inquit, est à quibusdam celeberrimis viris, cum in prælio interempta cadavera multos dies insepulta jacuissent, quæcumque supra Scordium forte fortuna ceciderant multo minus aliis computruisse, ac præsertim ea parte, qua herbam tetigerant. non inferioris esse virtutis Daphnoidem herbam testantur nonnulli DD. relati ab Henric. Kornman. de mirac. mort. par. 2. in prin. ubi ex Plinio de lapide Chernite idem narratur. sed historiam aliam refert de capite mortui exhumata, quod herba prædicta alias Vincapervinca vocata coronatum erat, & ob id nullatenus corruptum. Referunt, Aviculam quamdam, quam alcubi sanctæ Mariæ vocant, mortuam nequaquam corrupti, sed ad longum tempus in putrem servari, quin etiam veteres pennas exuere, & novas emitere. Narrat item Olaus Magnus lib. 1. de Rit. gen. Septentr. cap. 2. Pisces in regione Birmæ, nullo sale conditos, sed solo aëre siccatos toto decennio à putrefactione immunes servari, tanta est ibi aëris excellentia, & salubritas. Sed mirabilis est quod de Payone referunt Cardan. lib. 7. de variet. cap. 36. ex D. Augustini auctoritate, & Aldrurand. Ornithol. lib. 3. firmant enim ejus carnes affatas sine ulla corruptione ad annum asservari (licet D. Augustinus per mensem solummodo dicat) quousque exiccata in pulverem redigantur, qui fasiculum sapore referat. Idem quoque Cardan. lib. eod. de variet. cap. 39. in fine narrat, inter Montes Indiæ occidentalis carnes tantum servari incorruptas, ut supra fidem sit, nam juxta Cuzcum Vrbes equos post quantum mensem occisos licet, adeo esse recentes, ac sine odore tetro dicit, veluti si nuper essent occisi.

Ceterum plures rationes condiendi cadavera Ars docuit, quæ ea omnia in hunc usum convocat, quæ vehementem exiccationem cum adstrictione quadam excitare possunt; inter quæ primatum obtinet Sal, cujus hac in re mira vis est, ac cæteris quibusque præstantissima, ut demonstrat Gomef. de Sal. lib. 2. part. 32. & seq. non inferius Sale in hoc opere compiendo est vitriolum, quod & ipsum Salis species sit, & cujus virtutem in conservandis carnis à putrefactione admiratur Galeus 92. de Simpl. med. fac. vers. fin. class. 5. ex quo repetit acerrimi ingenii vir Petrus Castell. Epist. suar. decad. 1. epist. 3. Succedant his Alumén, Calx, Nitrum, Acetum, Aromata quæcumque, Opobalsamum, de quo Alpinus de Med. Ægyptiorum capite ult. & his similia, eandem ob causam exiccationis nempe adstrictioni junctæ veritatem habere compertum est id, quod Plutarchus refert, & quod experientia respondere noverunt posteriores afferente id Langio in Epistolis lib. 2. epist. 361. clavam ex ere chalcitide constatam carnis quibuscumque insixum eas diu impures conservare.

hoc ipsum ex Cardan. recenset Kornman. ubi alius cap. 37.

Porro inventum condiendi cadavera perversum est; nam & Jacob Patriarchæ corpus aromatibus conditum esse constat ex Ioseph ejus filii præcepto, ut narratur Gemes. cap. ult. vers. 2. quo in loco tantisper anceps, ac dubius hæsi, nesciens, ut ingenue fatear, quid sibi vellet sacra historia, cum post illa verba, Præceptique servis suis Medicis, ut aromatibus condirent Patrem, addit, Quibus iusta excellentibus transierunt quadraginta dies, iste quippe mos erat cadaverum conditorum; nesciebam, inquam, an post condituras relinquenter cadavera insepulta per quadraginta dies, an potius tam longum tempus in conditura absumere consueverint, quod admirationem mihi afferbat, & infimul hujus sensus improbabilitatem; quippe cum in præsentiarum modico tempore quodcumque cadaverum conditur, ita ut ad sæcula incorruptum perdurare valeat. Verum enim vero ex Herodoti lectione dubium omne dilatum facile est, hic enim in Euterpe, hoc est lib. 2. posteriorem opinionem veram esse certiore me fecit, cum docens modum condiendi cadavera, quo Ægyptii utebantur, postquam ea odoribus, aromatibusque infarserunt, Salunt, inquit nitro abditum septuaginta dies, nam diutius salire non licet; & paulo inferius de alia condiendi ratione, Arefaciantque sale septuaginta per dies, deinde tradunt reportandum. sed ad rem nostram redeamus, & Marias quoque aromata ementes, ut condirent corpus Iesu prætergrediamur, ut narratur Marc. cap. 16. & Lucæ cap. 23. & seq. quæ testes esse possunt veteris consuetudinis condiendi cadavera, quæ ad hanc usque diem perdurat. existimaverim tamen antiquiores illos Ægyptios in eo opere re aliquid peccasse; licet in plerisque supra humanum ingenium diligentes existenter: quod autem eam mihi dubitationem excitavit illud fuit, quod animadvertierim, corpus Ioseph diligentissime, ut patet credere, aromatibus conditum, ac asservatum, ut citato loco Gemes. enarratur vers. ult. non longo annorum spatio defecisse, nempe annis circiter 300. quibus sepultum, aut quoquo modo asservatum in Ægypto mansit, & sola ossa relicta, ut patet Exod. cap. 13. vers. 19. nisi dicamus sacram historiam per ossa ipsum cadaver intellexisse, nam & ipse Ioseph ante mortem, Aportate, inquit fratribus suis, ossa mea vobiscum de loco isto. sed quod me magis in mea opinione confirmat illud est, quod Arabes quotquot de cadaverum conditura locuti sunt (quos præ aromatum affluentia diligentiores in ea re fuisse oportuit) non exentherabant cadavera, sed ea clysteribus acerrimis repurgabant à fecibus interioribus, quod & apud ipsos Ægyptios factitatum esse patet ex Herodoto ubi supra, aut si exentherabant, id non perfecte faciebant, neque cæteras cavitates, sive ventres, ut cerebri, recte repurgabant, quia ex eodem Herodoto Ægyptii in curvo ferro per nares cerebrum educebant, unde abique dubio eveniebat, non omnino internam capituli cavitatem à cerebri corpore repurgari, & sic facillius cadavera putrefcebant; licet singula in eo existentia foramina multis aromatibus infarcirent. Plutarch. tamen in consil. cadavera ab Ægyptiis exentherari restatur & intestina in fluvium dejecti. Sed de capituli repurgatione nihil. Nostra autem ætate non modò cadavera evicerant, & ab omnibus excrementis diligentissime repurgant, & cranio detecto

detecto cerebrum cum cerebello eximunt, sed etiam venas, & arterias omnes majores per longum incidunt, omnemque sanguinem exprimunt, & sic omni humiditate expulsa, cadavera non modo ad multos annos, sed etiam quantum est ex hoc ad multa sæcula produrare possunt, quanquam non ea aromatum copia munita, qua Ægyptii consueverunt. Plurima sic fortasse, & non aliter condita reperta sunt diutissime perdurasse, & ut cætera multa præteream, superioribus annis in templo divæ Cecilie trans Tiberim, cum refarciretur, inventum corpus est cujusdam Cardinalis Angli, qui jam ab hinc trecentis annis deceaserat, undaque integrum, nullaque labe contaminatum, ut reviderent, qui illud & viderunt, & tractarunt, non multo quoque ab hinc tempore Bononiæ in Ecclesia S. Domitii inventum est cadaver integrum, nihilque labefactatum Alexandri Tartagni Imolenfis Iuriconsulti clarissimi, qui plusquam centum quinquaginta annis jam deceaserat, idem narrant de Bonifacii octavi corpore, cum vetustissimum S. Petri templum demolirentur, ut novum, atque illud quidem amplissimum, & magnificentissimum constructur, & plura etiam alia eodem modo reperta constat deibus nostris, alia tamen ex parte crediderim multum nos in conditura cadaverum ob specierum, & aromatum affluentiam, & summam diligentiam in ea adhibitam illos superasse, & ob id ad hunc usque diem referunt in ea regione reperiri Regum, & Magnatum cadavera adhuc integra, & Valentia urbis Hispania referunt idem Kornman. lib. 3. cap. 21. de mirac. mort. repertum esse cadaver Adonizam servi Salomonis post duo millia annorum, & supra incorruptum cum epitaphio Hæbraico, quod apud ipsum lege, qui & de cadavere Cleopatras mentionem habet, quod per 125 olympiadas nempe annos quingentos illelem permanerat, ut ex Heraclii Imperatoris Epist. ad Sophoclem Philosophum refertur. de Romanis tamen nihil tale memini legisse, nisi de cadavere quodam, quod Tulliola Ciceronis filia voluit fuisse nonnulli: de quo etiam fortasse intelligit Alessand. Tasson. Quæst. lib. 4. num. 2. in fin. hoc enim post mille trecentos annos, ut collegerunt quidam, integrum inventum est, & incorruptum, cujus rei historiam apud eundem Kornman. habes 14. ubi supra cap. 11. neque obijciat quis, quod antiqui cadavera cremabant, quia is mos non fuit apud Romanos veteris instituti teste Plin. lib. 7. cap. 54. quod tamen inficiatur Hieron. Maggus lib. 3. Miscell. cap. 10. Plinii sententiam improbens. Plures præterea historias cadaverum ad longum tempus servatorum absque ulla corruptione recenset idem Kornman. par. 3. & par. 5. de Podivino, quodam suspensio meminit, qui per duos annos corruptionem non est passus, & par. 7. c. 42. de jvvene bombardæ occiso per plures septimanas incorrupto servato, sanguine etiam per vulnus ad illud ipsum tempus emahante, ex quibus constat cadavera non tam ex arte, quam ex Natura ipsius virtute posse ad longinquum tempus à corruptione libera permanere. Sed tamen Natura id succedere posse non facile adducor, ut credam, nisi ad paucos quosdam dies, & ratio est, quia recedente nativo calore, & extraneo succedente de necessitate Natura, sive illico ab excessu illius fiat, sive rationabili tempore, necesse est etiam cadavera corruptionem pati, namque enim extraneus calor potest id, quod nativus potuit, nempe omnia moderari, & animalis vitam

fovere, humidamque superfluum absumere, in quod immo tantisper agens, neque potens illud vincere, eo modo excitat putredinem. quæ tamen non in omnibus uno eodemque temporis spatio ab obitu excitatur, sed multa eam & retardare, & accelerare possunt, ut morbi species, & mortis, qua sunt sublata, temperamentum, quo dotata fuerant, dum viverent, ætas, quam agebant, tempus anni, quo sunt extincta, & alia quoque ab extra advententia, ut flantes venti, locus ipse, in quo condantur, & alia hujusmodi, & ut ab hoc postremo incipiamus, constat esse terras, & lapides quosdam, quibus si cadavera condantur citissime absumuntur: de lapide in Asso Troadis Plin. lib. 36. cap. 12. in hæc verba. In Asso Troadis Sarcophagus lapis fissili vena scinditur, corpora defunctorum condita in eo absumi constat intra 40. dies exceptis dentibus, de qua re meminit quoque inter Iureconsultis Scævol. in l. liberis §. fin. ff. de Alim. & cib. leg. citatus ab Henric. Kornman. ubi supra par. 3. in prin. Romæ ferunt locum illum Cœmeterii, quem Campum sanctum nominant, viginti quatuor horam spatio sepulta cadavera absumere, de quo etiam idem Kornman. idem cap. 26. & in Temp. Nat. histor. p. 4. consil. 43. concl. 1. ubi etiam de aliis hujusmodi virtute dotatis cœmeteriis mentionem habet. contra vero alia sunt; quæ corpora impudra longo tempore servant, plumbis Sarcophagis condita cadavera diutius corruptioni resistere & experientia dicat, & notat Kornman. cit. loco de mirac. mort. par. 3. cap. 6. unde fortasse irreptit usus eo modo cadavera asservandi. sed maxime notat dignum videtur quod adnotavit Platerus in cent. posth. quæst. med. paradox. num. 9. nimirum quod cadavera terræ cuiuscunque mandata, sive desolata sint, minime omnium putrefcunt, nam neque putrida, aut fetida, vermibusque scætentia, sed arida, & sicca tanquam fumigata carnes permanent. rationem esse credit, quod terra ipsa, qua nihil succis existit ejusmodi corpora longe melius, quam si pice, aut sale condantur à putredine conservare possit. Alia ex parte Plutarch. in Sympol. deci. 6. probl. 10. auctor est, earum siccis suspenas (& hoc de suspenas cadaveribus verificatur) citius tenerescere, & consequenter citius putrefcere; quod & ex eo reperit Mivald. qui ex eodem Plut. ibidem carnes tritici acervo obrutas repperimus facillime reddi dicit, hoc autem ob calorem extraneum, quem concipiunt, rationi maxime consonum videtur. sed quid quod Lunæ radiis cadavera exposita promptissime contumputur? quam rem veritatem habere testis est Gal. lib. 3. de diet. decret. capit. 2. class. 4. & cum eo Oribasius ex Avicenn. Collect. lib. 9. cap. 3. Lem. de Oculis, nat. miracul. 2. cap. 4. Lomb. in tract. de Excessu Alexand. Tasson. Quæst. lib. 4. 18. num. 2. Facit quoque, ut diximus, ad citam corporum corruptionem genus morbi, quo cadavera fuerint extincta, si enim licet fuerit, ut Marasmus, Tabes, Hæctica, ardentissima febris, & hujusmodi difficiliss, si humidum, & à magna putredine ortum ducens absque mora contumputur. unde ea de causa sit, ut corpora peste sublata celerrime putrefiant Lomb. de Pest. cap. 8. Patens lib. 2. 1. qui est de Pest. cap. 10. contra vero ubi hæctica febre sublatus homo sit, non aliter quam si fumo, aut ipso igne soltus fuisset, incorruptum ejus cadaver ad longinquum tempus servari par est. Habitus etiam ipsius cadaveris in causa est facilioris, aut difficilioris putrefactionis, pinguis, & humiditate multa referta citissime

citissime corrumpuntur, extenuata, & exuca tardissime, & eorum præcipue, qui in abstinentia, & jejuniu diu vixerunt; Torreblandia in *Epi. delict. lib. 2. cap. 24. num. 3.*

20 Tempus insuper anni ad faciliorem, & difficiliorum corruptionem facere vel ipsi imperitissimi barbitonifores noverunt: per æstus enim, & humiditates facilius, ac citius, per frigora, & siccitates serius, ac difficilior multo putrefactionem concipiunt: idem etiam de temperamentis, & de ætibus est dicendum, quinimo & nonnihil ad id sexum conducere par est, feminea enim cadavera, quod humidiora masculis, quod ficiora sint promptius, quantum est ex hoc, corrumpuntur.

21 Præterea cadavera occisa, & violenta morte sublata corruptioni esse magis obnoxia, quam quæ naturali morte decedunt testis est *Homer. Iliad. 19.*

22 & 24. cuius carmina habes infra, quamquam contrarium omnino firmat vir doctissimus *Steph. Roder. Castren. lib. 3. de Meteor. Micro. cap. 4.* ac profecto cum in occisis ut plurimum totus sanguis effluit, qui putredinem promptius conciliat, magis rationi consonum videtur, ea diutius incorrupta feruari, quam quæ à morbo fuerint interempta.

23 Sed & inter ea, quæ vi pereunt, maxime ea corrumpi nostra ætate compertum est, quæ sclopo, & tormentariis huiusmodi instrumentis interficiuntur, quod testatur *Pigræus Chirurgus doctissimus lib. 4. sue Chirurg. cap. ult.* cuius verba referam. Corpora, inquit, quæ scloporum ictu intereunt omnia putrefactioni, ac corruptioni magis obnoxia sunt, quam cætera quocunque tandem morbi genere pereant. hæc ille. at unde hoc? An quia per huiusmodi instrumenta communicatio fit ipsis corporibus extraneæ caloris, & sic facile putredinem concipiunt? nam & ipsæ partes vulneratæ citissime corrumpuntur, *Alphof. Ferr. de Scelopet. Vaher. lib. 1. cap. 2.* An potius ob contusionem id evenit? cum in omnibus hiæc vulneribus contusio accidat, & contusionem facillime corruptio sequatur, ut & præcitatæ *Ferrus ibid. & Bartolom. Magg. de vulner. Scelopet. in pgn. & Paræus lib. 10. in Apolog. al. fatentur.* communicatio autem putredinis ex una parte ad aliam, & ad corpus uniuersum facillima est.

24 Cæterum quod cadavera aromatibus, Sale, vel nitro, vel Calce excepta, aut quocunque modo condita incorrupta feruntur, nihil habet in se non miraculi dicam, sed ne admirationis quidem: quamobrem quorundam simplicitatem, ut ita dicam, jam notandam censui, qui corpus cuiusdam probi viri, & vitæ quidem, ut audio, integerrimæ, aromatibus, ut fieri solet, asseruatum, vix 18. annis ab obitu translatis; miraculose incorruptum seruari volebant, cum tamen non obstante conditura jam putrere inciperet. ad quid obsecro miracula affectare? an non etiam ejus corpore putrescente, potuit hic Deo esse acceptissimus? Sed his relictis, ego putro cadavera incorrupta permanentia nullo artus, aut Dæmonis ministerio, miraculose seruari.

D. Thom. 2. 2. q. 178. art. 1. ad 3. *Ex ipso Rota in relat. 1. de mirac. B. Teresæ, art. 4. §. de Exhumat.*

25 pag. 301. *vers. unde cum.* Dæmonem enim posse id facere non dubitandum, ut testatur *Martin. Delr. lib. 2. dispusit. Magic. quæst. 25.* & *Torreblandia in Epitom. delict. lib. 1. cap. 24. num. 1. & seqq.* neque solum id poterit facere Dæmon Artus ipsius prædictis sibi quam notissimis, sed etiam amovendo quascunque naturales causas, quæ cadaveribus putredini

nem conciliare possunt. ac corpus, quod ex Dei virtute, & ex miraculo incorruptum permaneat, nullo 26 artis præsidio, immo nulla causarum corruptentium amotione, sed ipsis corruptivis causis permanentibus conservari poterit; idcirco nulla cadaveris extheratione aut evisceratione, nulla excrementorum repurgatione, nulla Aromatum, aut aliorum medicamentorum conditura, nulla temporis, aut loci conditione opus erit ubi ex miraculo cadaver aliquod incorruptum permanere debeat; hoc prudentissime insinuavit *Homer.* in cadavere *Hectoris*, quod quamquam cruore refertum, diu, multumque circum mænia *Trojæ* protraham, nullo unquam delibutum, tamen Deorum virtute incorruptum servabatur, ut ille inquit sub persona *Mercurii Priami* alloquitur *Iliad. 24.* his verbis.

O senex nondum hunc canes comederunt, neque alites,

Sed adhuc jacet Achillis apud navem

Neglectum in tentoriis, duodecima autem ei dies

Incenti, neque tamens ei corpus putrefuit, neque

ipsum vermes

Edunt, qui sane vivos in bello occisos edunt.

Et paulo infra, ut miraculi vim ostenderet.

Adeo tibi curant beati Dissidium tuum,

Et mortuum licet existentem, quoniam ipsi carnis

erat ex animo.

Sed quodnam tempus assignandum corruptioni 27 cadaveris? vel quanto tempore naturaliter potest cadaver aliquod incorruptum permanere? certe impossibile est omnibus unum, eundemque terminum posse assignari, quippe cum, ut jam præfatum est, multæ causæ sint, ex quibus ipsa cadavera citius, aut serius corruptionem patiuntur; vel ipse particulares hominum Naturæ, & temperamenta, ut diximus, in hoc multum possunt. in Persico quodam bello notatum cadavera Romanorum post quadriduum putrescere, ac tabo corrumpi, ut non facile qui sint dignoscantur. contra *Perfarum*, siccatis corporibus sine tabo ut ligna durescere, refert exemplum hoc ex *Card. de rer. varietat. lib. 8. cap. 40.* *Kornman. de mirac. mort. par. 3. cap. 1.* superius quoque de quibusdam populis mentionem habuimus, quorum corpora nullo modo putrescunt, cum cætera omnia putredinem tam de facili patiantur. Verum enimvero si ab eo, quod ut plurimum fit, uniuersalis regula firmari debeat, dixerim eum terminum tribus diebus definiti, quia tanto temporis spatio si quæ naturalis caloris reliquæ in cadavere relicta fuerint, omnino evanescent, & eorum loco calor putredinalis succedit; idcirco istermis assignatur à Medicis expectandus in quibusdam, qui ob morborum vim veluti mortui jacent, & ab ipsis vere mortuis non distinguuntur: nam (præterquam quod eo spatio incipit humores suum motum fortiantur, ex eorumque motu vita inesse, aut ex quiete abesse deprehenditur) non longius protrahi posse videtur corruptio in his, qui vere mortui fuerint, firmari possunt hæc argumentis *Lazari*, de quo rectè, quia transiit hic terminus; dicitur, ferret jam, quia quadriduam est *Joann. cap. 12. vers. 40.*

Cum vero, ut notum est, naturaliter omnia cadavera corrumpantur, & putrescant, sciendum est ad 29 majorem miraculi evidentiam cadaver ex miraculo incorruptum servatum, debere non solum secundum solidiores, & sicciores partes tale conservari, sed etiam secundum molliores, & humidiores, & secundum eas,

dum eas, quæ magis sunt putrefactioni obnoxie: 30 & hæc quidem ab omni genere putrefactionis immunes hinc oportet; sunt enim ut superius quoque dictum est putredinis plures modi, seu potius gradus, secundum quos alia cadavera, in quibus calor multus putredinalis, & humidum viget, in vermes & alia insecta abeunt, alia secundum humidiores præcipue partes in tabum convertuntur, alia situm contrahunt, alia in quibus carnes, ac viscera omnia dissolunt, alia cæteris ficiora, & in quibus calor mordax, & acer viget, humidioribus partibus absumptis, resiccantur, & diutius durant, omnia tamen putrescunt in majori, aut minori gradu. ita ut quamquam hæc posteriora minorem putredinis gradum attingunt, & cæteris diutius, ac melius, & quasi incorrupta seruari videntur, non sufficeret tamen hoc ad miraculi probationem, quia & ipsa ressecatio putredo quædam est, ut ex *Arist. 4. Meteor. cap. 2. tex. 5.* manifestissime elicitur. At vera cadaveris incorruptibilitas est inter miracula magnæ considerationis, ac Dei omnimodam virtutem requirens. nam quæ superius incorrupta vel natura, vel arte seruari diximus, non verum incorrupta seruantur, imò neque ipsa, quæ diligentissime condita sunt, nam & hæc & alia quæcunque paulatim, ut dixi, resiccantur, quoque tandem omnino in pulverem abeant, & incinerentur.

Cæterum circa cadavera pleraque alia observari 31 possunt, & aliquando etiam observata sunt, quæ cum admirationem quandam continent, vulgo causarum rerum ignaro miraculi suspensionem, immo certitudinem faciunt, cum tamen omnia Naturæ limites non prætergrediantur. quæ ut ab iis, quæ vere ex miraculo in cadaveribus accidit distinguantur, pauca huic quæstioni addenda sunt. Observantur igitur aliquando cadavera se se movere, vel secundum partes, vel secundum totum, sanguinem effundere, rubore perfundi, commaculari, & rubris stygmatis conferti, calida per longum tempus ab obitu permanere, & aliquando etiam per se stare. In quibusdam etiam unguis videntur crescere, ac pilis, quod etiam frequentius animadvertitur, adnotantur insuper retractiones quædam, seu potius convulsivi quidam membrorum motus; quibusdam enim Penis erigitur, & ad multum tempus ita perdurat, quod plures in his, qui suspenduntur animadvertitur. Narrat item *Fortun. Fidel. lib. 4. Relat. Med. cap. 1.* ex *Marcell. Don. hist. mirab. lib. 2. cap. 3.* Moniales quandam, cum alterius monialis de mortuæ manum exosculetur, ter illi manum à demortuæ tam fortiter fuisse contractam, ut viva adhuc putretur, & alias quoque non dissimiles historias, vide ipsi, si libet. adnotantur quoque plura alia huiusmodi, quæ brevitate gratia silentio prætereo.

32 Atqui primo cadavera per aliquod tempus ab obitu calida permanere, ut etiam post aliquod tempus post mortem recalescere, naturalis res est, at tunc maxime animadvertitur, cum mors ex perillenti morbo, aut ex summa, atque intensissima putredine ortum habuerit, ita ut contingat aliquando ea calidiora esse post mortem, quam fuerint in vita, ut testatur *Sal. de febr. pest. cap. 19.* & *Io. Haucher. lib. 4. de febr. c. 10.* quod ob intensissimum putredinalem calorem accidit, qui tantus aliquando est, ut Ægotantium corpora ipsam gelidissimam humum, aut ipsa frigidissima marmora excalesca-

33 ciant, quod scitissime adnotavit *Ovidius lib. 7. Metamorph. de peste correptis.*
Dura sed in terra vomunt præcordia, nec fit
Corpus humo gelidum, sed humus de corpore fer-
ret.

Eadem ex causa omnes commaculationes, rubores, livores, stygmata, & his familia, quæ in cadaveribus fieri observantur, eveniunt, ut docet *Vallès. in 5. Epidem. rex. 87.* sic etiam & sanguinis emissio aliqua ex parte, ut ex ulcere, ex ore, ex naribus, ex vulneribus: cum enim omnis jam naturalis calor evanuerit, & extinctus sit, & cum eo virtutes omnes conciderint, præcipue autem retentiva, jam turgentes humores, luxuriansque putredine sanguis impetu facto quoquo libet erumpunt. Notandum autem quod cum hæc ex Naturæ præscripto fiunt, non longe ab obitu accidere consueverunt, & postmodum, aut tertio ad summum die ab obitu comparent, aliter enim si multos post dies evenirent, multo majorem miraculi suspensionem facerent; & idcirco notoria miraculi evidentia accidit, quod è *B. Agnetis* à monte *Politiano* corpore plurimus sanguis post centum annos ab obitu proflueret. Notat tamen *Plater.* in *Cent. Posth. Quæst. Medic. Paradox. num. 8.* quod cadavera, quæ Anatomix causa pluribus diebus seruantur, post flavescentem illum colorem; quo postquam expirarunt, pallent; exactis aliquot diebus rursus nonnihil in malis, & carnosioribus locis rubent: sanguinem quoque levi commotione ex venis nondum sectis, & ad interiora emanare dicit. alia etiam his non dissimilia observari posse in cadaveribus crediderim, si & qui observarent adessent, & cadaverum copia suppeteret. referant cadavera aliquando exudasse, & *Kornman. de mirac. mort. par. 5. c. 8. §. 9.* narrat cadaver cuiusdam suspensi plurimum sudoris effudit per quatuordecim continuos dies, & alium post nonnullos annos item suspensum ad accessum matris sanguinem per longum tempus stillasse; priorum historiam admirationis habere aliquod, posteriorum fabulæ proximam judico, hæc tamen nullo negotio posse à Dæmone quodcumque liberit perpetrari certum est, itaque maxime ad hoc animadvertendum, ne decipiamur.

Porro cadavera per se stare supra naturam est: 34 nam neque ab ipso Dæmone id fieri poterit, ut per se realiter stent, sed bene, ut apparent per se stare: non modo enim cadaver per se stare non potest, sed neque in alterutrum latus reclinatum permanere: 35 cadavere enim in latus converso, inquit *Gal. lib. 2. de mot. muscul. cap. 4.* ne minimo quidem tempore super latus manet, sed illico vel primum, vel supinum fit, quod etiam adnotavit *Kornman. ex Ser. 36 del. de Ebriet. lib. de mirac. mort. par. 3. cap. 17.* cum enim, ut docet *Fabrit. de Gressu Anim. trans. prime.* in hac autem tam valida actione plurimi spiritus requirantur, impossibile omnino est, ut hoc naturaliter succedat, deficientibus omnino spiritibus. multo minus ex se naturaliter moveri potest cadaver, aut aliquam sui partem movere, unde quod narratur de *Iaceto* quodam, *Dub* nomine in Arabia nascente, qui occisus etiam post triduum igni applicitus, perinde movetur, ac si viveret, nescio an pro vero admittam, an dicam potius, ex calore ignis contrahi in semetipsum, non autem vere moveri. narrat autem naturale hoc miraculum ex *Lemn.*
 Majol.

Majol. coll. 8. dier. Carnie. p. 1. quanquam moveri cadaver ex Dæmonis præstigio possit, aut potius apparere, ut ex se moveatur. quamobrem ubi talia in sanctis corporibus ad aliquem finem facta observantur, ex miraculo fieri non dubitandum, ut illud est, quod de eadem B. Agnere à Monte Politiano narratur, quæ diavæ Catharinæ Senensi pedem ori propius admovit, ut facilius superstes virgo illum deofculari posset. loquor autem hic de motu vero, nempe qui fiat naturali modo, non de convulsivo, de quo superius dixi; hic enim à flatuoso spiritu, vel à putredinosis vaporibus etiam in cadaveribus excitatur, ut notat Fortun. Fidel. lib. 4. re. lat. med. c. 1. hac quoque ratione evenit, ut carnes vituli recenter tractati (forte & aliorum quoque animalium) tremant per aliquot horas, contrahantque sese ab externi Aeris injuriis læscitæ, ut recenset eruditissimus Fortun. Licet. lib. 1. de Spont. Viven. ori. cap. 149.

Ad hæc protitum, & od id minus admirationis in se habet quod dicitur de pilis, & unguibus in cadaveribus excrescentibus, cum tamen neutri illorum vere, & realiter crescant, sed crescere videantur ex depressione circumstantis carnis, aut cutis ex sententia Aristotelis, & Alexandri, quam cum cæterorum Philosophorum aliis opinionibus recitat Mercurialis, lib. 1. de morb. can. an. cap. 3. de qua re vide Licet. lib. 1. loco citato. majorem multo admirationem haberet, dentes crescere; ut aliquando evenisse recenset Kornm. de mirac. mort. par. 3. c. 42. si modo vere crescant.

38 Liquores porro, sudores, humiditates, sanguis diu, & longe ab obitu ex cadaveribus emanantes suavitè redolentes, & in certa copia, statisque temporibus, nihil in se naturale habent, neque ullam dubitandi anam præbere possunt, nisi quod hæc ipsa suis præstigiis facile operari potest Dæmon. sed in sanctorum corporibus nulla erit hæsitantia, unde prudentissime à Rota talia pro miraculis semper judicata sunt, & vide relationem læpe citatam super processu B. Andreæ Corfinipar. 5. §. 3. in princ. Et las. 1. de mirac. B. Terefa, art. 4. nu. 2. post mortem, quod autem de Alexandri cadavere jaçant, nimirum insensibilem per septem dies, incorruptumque servatum, gratum odorem exspirasse, credo esse scriptorum adjunctum, qui, ut fit, non contenti narrare, quod incorruptum Alexandri cadaver servatum sit, ut audierant, addiderunt etiam illud gratum spirasse odorem, cum sufficeret ad admirationem excitandam, quod ingratum non spirasset. Nam fetor semper consequitur putredinem, odor vero contra laudabilem humorem & corporis constitutionem. imo neque naturale est odor qualiscunque. Qui gradus quoquo modo esse possit, non modo mortuorum cadaveribus, sed neque viventibus corporibus quantumcunque perfecta sanitate, & evrasia fruantur, unde nescio, an mendacii re-darguendus sit Card. qui de suo corpore odorem bonum perpetuo exspirare scripsit; licet hominem naturaliter posse bene olere probet Licet. lib. 4. de his, quæ diu sine alimento vivunt, cap. 8. sed hoc intelligendum forte de odore quodam corpori humano conveniente; qui non simpliciter bonus ac suavis odor dici potest, & idcirco bene idem Cardan. lib. 13. de subtil. dicebat, corpora Sanctorum, cum cætera cretant, bene olere ob id creditum est, vi Divinitatis adversus Naturæ decreta pugnantem. Nec tamen secundum naturam impossi-

bile est, humanum cadaver recens non male olere: at bene olere, inquam ego, est impossibile; quia bonus odor ex calore naturali in cadavere emanare non potest, quia is aut nullus, aut exiguus, ex calore autem putredinali quomodo bonus odor emanabit?

Denique videbatur aptus hic locus ad inquirendam veritatem, & causam naturalem de sanguine emanante à cadavere occiso coram occisore; sed quia magis aptus locus offerretur in tit. de Vulneribus lib. 5. seq. eo loci id ipsum rejiciam, qui autem plura mirabilia circa cadavera eventientia legere cupit, adeat Henric. Kornman. de mirac. mort. par. 4.

S V M M A R I V M.

- 1 Resurrectio secundum aliquos naturaliter fieri potest.
- 2 Assertio Ratio, qua id probari possit.
- 3 Multi qui mortui resurrexerunt.
- 4 Animalia nonnulla jam mortua aliquando resurgunt.
- 5 Resurrectio opus est miraculosum.
- 6 Quamam ratione quidam resurgere à mortuis visum.
- 7 Supra terminum vitæ dicitur non videtur possibile hominibus, qui mortui videantur, ad vitam redire naturaliter.
- 8 Nonnulli multis annis dormientes.
- 9 Populi Locomoria quomodo resurgant.
- 10 Quod herbe quedam resurgere faciant falsissimum, & ridiculum.
- 11 Dæmon an possit mortua insecta ad vitam revocare.
- 12 Anima quorumcumque animalium irrationalium in morte corruptur.
- 13 Dæmon non potest idem animal numero ad vitam revocare.
- 14 Resurrectio est unius, ejusdemque numero animalis.
- 15 Nullum animal mortuum vere resurgit præter ipsam hominem.
- 16 Homo habet propriam formam à corpore segregatam.
- 17 Eundem effectum numero semel corruptum im-plicita posse reproduci.
- 18 Deus non potest idem animal numero irrationale duxerat semel corruptum ad vitam revocare.
- 19 Hominis Resurrectio ex Dei virtute factibilis, bruti vero nequaquam.
- 20 Resurrectio fit per novam introductionem ejusdem anime in idem corpus.
- 21 Brutum aliquo modo resurgens non esset idem numero.
- 22 Resurrectionis opus car naturale esse non possit.
- 23 Ex nihilo naturaliter nihil fit.
- 24 Mors est privatio vitæ.
- 25 A privatione ad habitum naturaliter non datur regressus.
- 26 Productio naturalis effectus sequitur ad proprias dispositiones introducias in id, in quo sunt.
- 27 In examine resurrectionis contingit dubitare, an vere is, qui resurrexisset presumpsit, mortuus fuerit nec ne.
- 28 Morbi, ex quorum vi homo interdum veluit mortuum apparere, cum adhuc vivat.
- 29 Aquæ submersi, strangulati, ex alto cadentes, & hujusmodi aliquando mortui videntur, cum vivunt.
- 30 Syncope est præcepti virum minima.

- 31 Syncope distinguitur à Lypothimia.
- 32 Syncope ad talem vehementiam devenire potest, ut homo mortuus appareat, non sic Lypothimia.
- 33 Aeris dictum defensum.
- 34 Syncope facti detentus non potest longo tempore supervivere.
- 35 Cor non potest magnum morbum sustinere.
- 36 In valida Syncope non est locus remedii.
- 37 Morbus, quo detinebatur Zeno Imperator, & Io. Duns Scotus non erat Syncope.
- 38 Syncope detentus si post tres dies ad vitam redeat, magis faciet resurrectionis suspensionem.
- 39 Impossibile est cum foris Syncope ultra viginti quatuor horas vivere.
- 40 Syncope dicitur quasi abscessio vitæ.
- 41 Quomodo fieri possit, ut homo absque ullo sensu & motu vivat.
- 42 Privatio respirationis est ipsa mors.
- 43 Vita non potest esse sine respiratione.
- 44 Homo respectivo ad nos tantum potest sine sensu & motu vivere.
- 45 Ultra terminum trium dierum cum morbo, qui hominem motu & sensu privat, non potest ullo modo visa supervivere.
- 46 Syncope est ipsa mors.
- 47 Mors est confirmata Syncope.
- 48 Nemo moritur absque Syncope.
- 49 Terminus suspensionis vitæ brevior esse debet in Syncope affectis.
- 50 Tres dies pro termino vitæ assignantur in morbis autonnis, Rationem vide nu. seq. & 52.
- 53 Experimentæ varis ad discernendum an homo mortuus sit, nec ne.
- 54 Ex quibus præcipue signis cognosci possit, an homo qui mortuus apparet, adhuc vivat, nec ne.
- 55 Vbi homo vivit, ejus oculi inveniuntur imaginem redere solent.
- 56 Homo ex morbo non periclitatur, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant. Falsum ibi.
- 57 Fetore præsentis de morte dubium non est.

De Mortuorum Resurrectione.

QUÆSTIO XI.

Quanto intimius in miraculorum natura investiganda hæctenus penetravi, tanto promptius hominum quorundam vanitatem in illorum veritate cognoscenda, ac propalanda perspexi. Miratus antehac sum, quam facile sibi persuadeant, non inquam postremæ notæ homines, sed sapientissimi, & quibus non immerito primas in scientiis deberi communi calculo receptum est, posse quædam opera mirabilia à natura, vel à casu contingere: tamen æquo toleravi animo, quod morbos nonnullos difficiles, & verè ex miraculo sanatos, à Natura curatos fuisse, & curabiles extitisse aliter: magis me affecit, quod hominem à Natura prophetare aliquando voluerint, quod per imaginationem non modo extra mentem rapi, sed à terra etiam sublevari firmaverint. Ad mortuorum jam resurrectionem perventum erat, quam ad eam Naturæ vires superare existimabam, ut ex communi hominum consensu firmari posset id esse semper, & absque ullo dubio opus miraculosum, & ab ipsa divina potentia immediate emanans: nihil enim excogitari posse in rerum Natura credideram, quod effectum, non dico parem, sed aliqua vel minima ex parte si-

milem pronitteret, neque ullam apparentem rationem, quæ id suaderet. Tamen & in hoc ipso opere esse aliquid, quod objicere quisquis sit posset, adinveni; eo namque impudentiæ quorundam facilitate, seu malitiosam credulitatem pervenisse comperi, ut non modo resurrectioni simile opus, sed & ipsissimam mortuorum resurrectionem à natura factibilem judicent, & si Diis placeat, id etiam per simplicia quædam medicamenta fortiri posse effutiant. Sed antè hæc sequens ratio persuadere posset, Resurrectionem esse naturaliter possibilem: si enim naturaliter fit, ut animal, quod nunquam extitit in lucem, nascatur, multo facilius naturaliter erit, hominem, qui aliquando extitit, resurgere, quod enim difficilius sit ex nihilo aliquid fieri, quam ex aliquo aliquid videtur rationi consonum, & probatur ad id firmandum à Plater. in Cent. Posth. Quæst. Med. Parad. nu. 34. Præter hanc autem rationem afferuntur nonnulla exempla eorum, qui cum mortui essent, non ex miraculo, sed naturaliter fulcitati sunt. Inferam hic nonnulla eventa, quæ veritati ob eorum raritatem officere possent, alia rifu potius quam admiratione excipienda, quorum plura ex Valerio Maximo, ex Plinio, ex Cælio Rhodig. & aliis referunt Ravil. in sua offic. lib. 1. & Martin. Delr. lib. 2. disquisit. Magic. quæst. 29. Plura quoque hujusmodi exempla notatu digna habes apud Majol. dier. Can. Tom. 2. Coll. de Vatic. Ferunt Apionem Grammaticum herba Cynocephalea Ofliriti Ægyptiis appellata Homerum in vitam revocasse, auctor Plin. lib. 30. c. 2. Acilium Aviolam, & L. Lamiam in rogo revivisse narrat Val. Max. lib. 1. cap. 8. & idem Plin. lib. 7. c. 52. qui etiam de Ælio Tuberone idem refert, & de aliis nonnullis. de Soleo Plutarch. de fer. memn. Vind. meminit, qui de sublimi loco in cervicem delapsus icu absque vulnere accepto, mortuus est, tertiaque post die sub ipsam funerationem revixit. Mirabilis est quod de Ère Pamphilio narrat Valer. Max. ubi supra, ex Platone, quod scilicet revixerit post decimam diem, qua mortuus fuerat. Narrantur & apud Medicos (ne has fabulas quis judicet) quamplurimi hujusmodi casus, quorum nonnullos vide apud Schench. lib. 1. Observat. tit. de Apoplexia, & lib. 4. tit. de suffoc. Vter sed pleraque hominum reviviscuntium historias, qui legere cupit, legat Henric. Kornman. de Mirac. mort. par. 2. per totam. Accedit his, quod de puero quodam, & de Epimenide Gnosio, seu Cretenli narrat supra citatus Plin. nempe eum dormivisse annos 57. dehinc resurrexisset. Idem ex Laertio Diogene narrat Marcell. Donat. lib. 4. histor. Med. mirab. cap. 12. additque eum nunquam visum fuisse comedere. Multo majorem admirationem affert quod Sigismundus Liber in suis Moscoviæ commentariis, & ex eo Delrius memorat, homines nimirum quosdam Lucomoriæ trans flumen Obium in montibus positum sub finem mensis Novembris obdormire, seu, ut ipse Sigismundus inquit, mori, post hæc sub finem subsequenti Aprilis reviviscere. Hanc ipsam horum populorum seu fabulam, seu historiam repetit ex Francisco Citefio Medico Fortun. Licet. lib. 1. de his qui diu sine alimento vivunt, cap. 6. & Henric. Kornman. de mirac. mort. par. 2. c. 41. cum minori tamen admiratione hæc à me perfecta sunt, qui similia apud Herodotum legerim lib. 4. nescio an de eisdem populis loquatur, eos tamen sex mensibus dormire narrat. Sed & supra citatus Marcell. Donat. ubi supra refert ex quodam historico tempore Gregori XI. summi Pontificis.